

4^{ed} Polit. 574.
574
Polit.
574

D. O. M. A.

De

ARCANIS POLI-
TICIS

In genere

DISSERTATIO,

Quam

INCLUTÆ FACULTATIS PHILO-
SOPHICÆ

Consensu & Autoritate

SUB PRÆSIDIO

Praeximii atq; Humanissimi

DN. M. JOHANNIS MAUCKISCH,

Freibergenf. S. S. Th. Baccal.

publicæ disquisitioni

ad diem XXIX. Novembris

ANNO

M DC XLV.

horâ locoque consuetis,

Subjicit

CASPARUS VVAGNERUS Neufsâ Misnicus,
SS, Theol. Studiosus.

LIPSIÆ

Typis HENNINGI CÔLERI.



Σὺν τῷ Θεῷ.



Rduum sanè est Magistratus personam tueri atque pro totius Reipublicæ commodis animò excubare vigili. Hinc Philosophorum Princeps Biantis dictum niveq̄ com-

l. 5. Nicom. cap. 1.

probavit calculò sic scribens: *Ὁ δὲ δὸξαι ἔχειν τὸ ἐπιβάντων, ὅτι ἀρχὴν ἀνδραδείων.* Præclare videtur esse dictum illud Biantis: Magistratus virum ostendet. Sudandum enim est iis,

Cic. pro Sex. tio.

(juxta Oratorem Romanum, qui sæpiùs, maximis exortis procellis, ad Reipublicæ clavum sedit,) qui Magistratum gerunt pro communibus commodis: adeundæ inimicitia, subeundæ sæpè pro Republicâ tempestates: cum multis audacibus, improbis, nonnunquam etiam potentibus dimicandum. Neque hîc solâ literarum cognitione meliore tincti semper omne punctum ferunt. Sunt enim, qui totam ætatem artibus insumpserunt & scientiis, ad quarum apicem satis feliciter dum pervenisse harriolantur, nihil tamen ferè, quò vel in officio contineant exorbitantes, vel ab aliis detrimentis Rempublicam vindicent, exploratum habere deprehenduntur. Exemplum jam olim dedit Florentina Reipublica, quæ in Medicis ad se reducendis occupata: Victorium quendam, hominem à scientiarum & Legum imprimis studio, innuente Joviò, valdè laudatum ablegaverat. Is multus inter tractandum pro Florentinis, in ratione scæderum exponenda, iisque infallibiliter tenendis, multus in legibus allegandis, sedulo cavens & agens omnia, lateres tamen lavit, speque rei componenda: & ipse excidit, & Principales eâ dejecit. Neque tam ferrò & clypeis etiam Reipublica sarta rectaque conserva-



tur, quàm divinâ benedictione exornatâ & exarmatâ Prudentiâ. Plura namq; juxta Tacitum, in summa fortuna; auspiciis & consiliis quàm telis & manibus geruntur. Quapropter operæ pretium putamus, hâc vice in abdita Politicâ penetrare, atque ibidem *arcanorum politicorum* naturam oculis intueri emisititiis. Id quod ut divino honori nostro-que respondeat emolumento, faxit *arcanorum Revelator* unicus, Deus ter optimus Maximus.

THESIS I.

Arcana ab arcendo, Arce, vel arca nuncupantur, & multa tùm in Græcis, tùm in Latinis habent synonyma.

Æth. 1. Ita Tholosanus l. 2. de Republica cap. 5. num. 2. Clapmarius l. 1. de Arcan. Rerumpubl. cap. 3. Heiderus in Syst. Pol. cap. 4. p. 686. *Arcani* sermonis significatio trahitur, inquit Festus, ab *Arce* quæ tutissima pars est urbis, sive à genere sacrificii, quod in *arce* fit ab auguribus, adeò remotum à notitia vulgari, ut ne literis quidem mandetur, sed per memoriam successorum celebretur; vel ab *arca*, in qua quæ clausa sunt, tuta manent, cujus ipsius origo ab *arcendo* pendet. Cum & Varroni 4. de Ling. Lat. Arx ab *arcendo*, quod is locus munitissimus urbis, à quo facilius hostis prohiberi possit, dicatur.

Æth. 2. Cæterùm non inconcinnum foret hic cum Clapmario l. 1. c. 3. excutere; & ad *arcanorum militum* exemplum, *arcana* veterum quomodo servata fuerint, intimare; Persarum mos erat, teste Curtio l. 4. *arcana* Regum mirâ celare fide, non metus, non spes eliciebat vocem, quâ proderentur occulta. Angli in bellum euntes, teste Frossardo, jurant, se arcana consilia non vulgatu-
Turca, re quapiam decretâ dicitur Bassas, sive Viseros suos secum aliquandiu in venationem solitudinemque ducere, ad adimendam illis occasionem divulgandi decreta seu arcana bellica. De Romanis hæc refert Valerius Max. Adeò magna charitate Patriæ

triâ omnes tenebantur, ut arcana consilia Patrum, confertim multis seculis nemo Senator enunciaverit. Nec Senatores tantùm arcana religioso reverebantur silentio, sed & ipsi Imperatores Romani, ut ex *Herodiano* discimus, ἀποκρύπτει καὶ κρυπτικῶν βίβλιν ταβουλῶν obsignabant.

Æth. 3. Insuper, quum vocabula rerum incunabula dixeris, hinc nostræ dissertationi non effundepus tenebras, si varias appellationes, quibus hæc arcana Autores indigitarunt, convasabimus. Aristoteles hæc arcana l. 5. cap. 8. politic. vocat τῶν πολιτικῶν σοφισματα, Rerumpublicarum callidas deceptiones & l. 4. cap. 13. dicit: ἐστὶ δὲ ὅσα προσφαστικῶς χροῖν ἐν ταῖς πολιτικαῖς σοφιστικαῖς πρὸς τὸν δῆμον. Sunt quæ prætextis gratiâ in Rebuspubl. ad populum sophisticè agunt: Præterea etiam appellantur κατὰ σκευδισματα à molitione subdola, ἀπεικονισματα, quod ad exemplar rei veræ suas efforment inventiones, φαινόμενα, quod saltem appareant talia, non verò re ipsa sint, ὑποκομισματα, quia sunt sæpenumero malæ rei integumenta, quibus speciosum ac honestum nomen prætextitur, εὐπροσωπία, fictiones, egregiam speciem præ se ferentes, χρωματα, dum rebus veluti fucus illinuntur, ἀποδέρνεται, quod non in vulgus disseminentur, ἐνδομυχα, quod in interioribus recessibus abdita delitescant, ἀπίκρυφα, quod occulta serventur &c.

Æth. 4. Latini quoque varlis efferunt vocabulis, dum ea Consilia occulta, abscondita, clandestina abdita, abstrusa, celata, intima, secreta operta; Sacramenta, commenta, figmenta, fallacias, ludificationes, dolos bonos, blandimenta, & quæ sunt generis alia, salutant.

THESIS II.

Arcana ubique sese ultrò citroque offerunt, unde hæc voce politicâ determinavimus, licet ita non suâ careant ambiguitate. Primò namque dicuntur omnia arcana politica, quæ viri prudentes cautiùs mercantes

ſeſtantur (2.) quæ hic vel ille verſipellis mo-
litur. (3.) Conſilia Regum occultè ſervanda.
(4.) Denique (ut alias appellationes tacea-
mus) Arcana Politica ſunt fundamenta oc-
cultæ, quibus Reſpublica ſuffulcitur, & illa
hic definiuntur.

Exd. 1. Nulla datur in Rerum univerſitate Conditio, nullus
ſtatus, nulla ars aut ſcientia, quò non arcana ſuas extendant ſim-
brias. Fovent arcana ſua Theologi, quibus inhiat vulgus, *ὡς πρὸς*
τῆς τῆς χλόης καὶ τῆς νομαῖς τῆς βοσκυαίας, ut herbis & pascuis ar-
menta, Nicephorus Gregoras l. 10. p. 366. hiſt. Sua Jure Conſul-
ti, ſicut tacita arreſta ſecreta potiùs arreſta dicenda conſtet. Mode-
ſtin. Piſtorius Illuſt. Quæſt. p. 4. quæſt. 162. ut ſilentii nube arcana,
quibus quandoq; ſtudent practici, involvamus; Sua Medici, dum

————— Pueris ablynthia tetra medentes
Cum dare conantur, prius oras pocula circum
Contingunt mellis dulci flavoq; liquore.
Ut puerorum ætas improvida ludificetur,
Labrorum tenuis: interea perpotet amarum
Ablynthi laticem deceptaque non capiatur.

ut canit Lucretius. Pariter Plinius in Epistoſa: *Medici*, inquit, *ſa-*
lubres, ſed voluptate carentes cibos blandioribus alloquiis proſequun-
tur. Sua Mercator, qui non cogitat, quantum auxiliu laturus mi-
hi, ſed quantum lucri ſibi, Sen. l. 6. Benef. c. 14. Hinc ut perenne
lucrum ſuppetat, inſtar polypi variis rebus adhæreſcit: ſicu-
ti Mercator ad decennium, Tabularum luſoriarum monopoli-
um in Hiſpania adeptus cæteros ibi loci mercatores operibus ac
potentia facile ſuperârît, annotante Lanſio in orat. contra Hiſp.
Sua Philoſophi, tum Theoretici, in naturæ arcana penetrantes,
tùm cumprimis Practici, de quibus hęc in loco diſquiretur altiùs.

Exd. 2. Arcana quoque Politica diverſos ſortiuntur ſignifica-
tus. Nam (1.) vocantur illa arcana, quibus verorum Politico-
rum

rum oblectatur prudentia, de qua audiendus eſt Seneca. Si pruden-
tiam, inquit, amplecteris, ubique idem eris: & prout rerum æ-
temporum varietas exigit, ita te accommodes tempori, nec te in
aliquibus mutes, ſed potiùs aptes: ſicut manus quæ eadem eſt,
quum in palmam extenditur, & quum in pugnum adſtringitur,
4. de virtutib.

Exd. 3. Sicut autem Politicus interdum malè audit, dum ve-
luti pica anteriore parte candet, poſteriori verò parte nigricat, ſic
(2.) & ejus ſubdolæ machinationes arcana vocantur politica, qui-
bus hodiè nemo facile ſe extricare poterit. Nam,

Qui cavet, ne decipiatur: vix cavet, cum cavet,

Etiã cum caviffe ratus eſt; ſæpè is caſitor captus,
Plautus in Captivis, Act. 2. ſc. 2.

Exd. 4. (3.) Dicuntur & arcana omnia Regum Conſilia, quæ
in Conſiliariorum præſertim intimorum ſinus effunduntur, de
quibus angelus apud Tobiam edifferit: *Sacramentum Regu abſcon-*
dere bonum eſt, opera autem Dei revelare eſt conſiteri honorificum.

Exd. 5. Tandem nat' *ἐφοχὺν* arcana politica vocamus eas
machinationes, quibus Princeps temporum inſerviens commodi-
tatibus occultè ſuum ſtatum munit atque circumvallat, de qui-
bus hîc differendî latior aperietur campus.

THE S I S III.

Definimus autem vel potiùs deſcribimus
ea hanc in faciem: Arcana politica ſunt ra-
tiones argutæ, clam ab eo, qui principa-
tum tenet, ad ſtatum Reipublicæ conſervan-
dum & ad ſecuritatem Principis inventæ, ad-
eoque boni publici cauſa.

Exd. 1. Arcanorum genus alii cum Heidero conſtituunt.
Conſilia arguta. Beſoldus verò ex Clapmario l. 1. c. 4. intimas &
occultas rationes indigitat, quem Prætorius & alii quoque ſe-
quun-

quuntur. Nos edocui illud Philosophicum, non perinde in Practicis
ac Theoreticis ἀρχαίαι semper scitandam esse, hic neutri dicam
seribemus, siue consilia siue rationes appellitet.

Εκθ. 2. Diximus autem has rationes *occultas seu clam inventas*, in
finuatur simulationem & dissimulationem primas hic partes susti-
nere, imò caput & arcem rei continere: Istas verò non semper in
vicio positas esse, falsis ex Ethicis poteris cognoscere. Notum est
illud Friderici, seu ut alii malunt, Sigismundi: Nescit regnare,
qui nescit dissimulare. Et hoc Ciceronianum: Dux aut Praeses quid
sit acturus, aut quomodo, nescio: qui ne simulare quidem poterit
quicquam πολιτικός, l. 7, ad Att. Ep. 13, in init.

Εκθ. 3. *Causam* verò *efficientem* designavimus eum, qui prin-
cipatum tenet, vel si mavis cum Praetorio, Majestatem, quippe cui
totius Reipublicae onus & honos impendit. Hinc Cobares Basso
ap. Curtium l. 7. c. 4. *Magnam onus sustines capite regium insigne.*
Hoc aut moderate perferendum est, aut quod abominor, in te ruet. Con-
silio non impetu opus est.

Εκθ. 4. Non autem ab iis excogitandis Consiliarios excludi-
mus, utpote quorum est omnibus nervis & regem & rem juvare
publicam. Nam horum dignitas tanta est, ut pars corporis ipso-
rum Principum censeantur (videatur Libenthal. Polit. disput. II.
th. 6, ubi pluribus Consiliarios dignitatem evehit) Hinc pa-
rum interest, an *immediate*, an verò *mediantibus* Consiliariis
inveniat consilia, suaque tandem autoritate stabiliat. Sic leges
soli Majestati suae videntur, originem, licet ab hoc vel illo politi-
co aut Jure Consulto profectae fuerint, dummodò principis pote-
stati conformantur.

Εκθ. 5. *Finis* primarius arcanorum est *Status Reipublica Con-*
servatio, quem ut obtineat cum hosti committit quod ajunt incum-
bat sua, saepenumero salute postposita omnes seditiones, insidias,
interdum etiam insidiis seu clavum clavò trudendo, intercludat ne-
cessitas. Proindeque velut *κρίσις* dicitur illud Oratoris Ro-
mani: Est boni Magistratus, cum auxilium Reipublicae labefactari
convellique videat, ferre osem patriae, succurrere salutem, fortunis
que communibus, suam salutem posteriori em salutem communi du-
cere: intercludere omnes seditionum vias, pro Caio Rabirio,

Εκθ.

Εκθ. 6. Neque tamen temere periculis Principem volumus
objectum. Eo namque, veluti capite, laborante totum Reipubli-
cae corpus conflictatur ac collabascit. Hinc & in arcanis princi-
pes ad suam suorumque securitatem, quam maximè collineare de-
bent. Sic Dionysius Syracusiorum Tyrannus cuiquam hospitali
talentum dedit dono, hoc utens praetextu, quod ex eo insidiato-
rum cognoverit *indicia*. Quò rumore insidiatores perculsi conce-
ptam eam conjurationem perficere desisterunt.

THESIS IV.

Dividuntur autem arcana in honesta
& vitiosa.

Εκθ. 1. Quemadmodum Respublica, quae juxta Aristot. l. 3. Po-
lit. c. 6. πόλειος ἕξις τῶν τε ἄλλων ἀρχῶν καὶ μάλιστα τῆς κυρίας πίν-
των, in rectam & prolapsam dividitur, ita, ut recta πρώτως, imò ma-
ximè Reipublicae nomen mereatur; prolapsa verò δεύτερως, imò
juxta Philosophum παρεκβάσις appelletur, dum ita differit: φανερόν
τίινον ὡς ὅσα μὲν πολιτείας τὸ κοινῆ συμφέρον σκοπεῖσιν, αὐταὶ μὲν ὀρ-
θαὶ τυχεύουσιν ὅσα κατὰ τὸ ἀπλῶς δίκαιον, ὅσα δὲ τὸ σφέτερον μόνον
τῶν ἀρχόντων ἡμαρτημένα παῖσαι καὶ παρεκβάσεις τῶν ὀρθῶν πολι-
τείων, apparet igitur, quod quacumque Respublica ad communem utilita-
tem intendunt, haec certè recte sunt secundum simpliciter justum: qua-
cumque verò ad propriam eorum, qui praesunt, utilitatem solùm, aber-
rant quidem, suntque omnes rectarum Rerumpublicarum transgres-
siones & labe, quaeque communis Politicorum est sententia Aris-
t. l. 1. cap. 7. de Republ. Hæderi cap. 6. Polit. Praetorii in Theatro pol.
Sic arcana etiam politica seu Rerumpubl. molimenta in honesta
& vitiosa dividere poterimus; Ita tamen, ut honesta primario ar-
canorum politicorum nomine veniant.

Εκθ. 2. Ne verò impietati litare atque fraudulentiae ac per-
fidiae fores fenestrasque aperire videamur, protestamur hic arcana
saltem honesta exofculanda atque exereenda, vitiosa verò repudi-
anda esse. Horum enim naturam idè investigamus, non ut aliis
injiciamus tragulas, sed ut injiciendas evitemus, aliisve exerto
digito monstramus evitandas.

B

THES.

THESIS V.

Dividi quoque possunt in Realia & Personalia.

Exd. Arcana Realia intelligimus, quæ in ipsum Reipublicæ Statum conservandum feruntur. Personalialia verò quibus dignitas atque securitas Principis obtinetur. *Clapmarius* illa Reipublicæ, hæc verò dominationis appellat. l. i. cap. 8. Arcanor.

THESIS VI.

Tandem dividi possunt in generalia & specialia.

Exd. Generalia sunt quæ omnibus Reipubl. formis conveniunt: Specialia verò, quæ cuique Reipublicæ formæ inserviunt, & sunt vel Monarchica, vel Aristocratica, vel Democratica, de quibus alibi prolixius agetur.

THESIS VII.

Priusquam verò receptui canamus, lubet nominatim aliquot arcana evolvere, quæ vel in statu pacifico & polemico simul, vel in pacifico, vel in polemico tantum occurrunt.

THESIS IIX.

In Statu utroque (1.) Religio, (2.) libertas, (3.) jus & æquitas prætenduntur, (4.) Honores, præmia, tributorum remissiones variæque immunitates promittuntur (5.) inter adversarios lites accenduntur, inflammantur, augentur. (6.) In rerum Consortium alii admittuntur.

Exd. 1. De his & aliis arcanis sciendum est, ea sæpius in pessimam detorqueri partem, & sic ab honestatis aberrare tramite. Quapropter ejusmodi prætextus licet à nobis non committantur, linceis tamen oculis intuendi & ne iisdem illaqueemur, simulatores cane pejus & angue fugiendi sunt. Nos è veterum memoria nonnulla mutuabimur, moderna Politicis ocalatis relicturi, qui vel per transfennam perspicient, eandem mutatis saltem personis adhuc in multis ludi fabulam.

Exd. 2. Religionem interdum commodè prætendi posse ex r. Sam. 16. ad oculum patefcit, Ubi Samuel Davidem uncturus Regem se jussu divino sacrificandi gratiâ Bethlehemum venisse comminiscitur. Sic Jehu Baaliticos sacerdotes trucidaturus Idolo Baalim sacra facere simulavit 2. Reg. 10. Quem latet Constantini Historia, qui simili Religionis prætextu aulicorum suorum constantiam exploravit. Verùm hi prætextus partim divinò mandatò ac instinctu, partim sine nituntur legitimo. Num verò augustum & venerabile veræ Religionis nomen suis affricare debeant moliminibus, qui sub illo latitantes omnem Religionem & Rempubicam aut ipsi eunt eversum, aut aliis autores sunt, animo constante pernegamus.

Exd. 3. Hoc scil. est, quod in Idolo verè Papiifico Manuali nimirum Politico Wilhelmus Ferdinandus ab Effren molitur. Ut enim ille Pontificiam statuminet potestatem, omnes è Papæ pedes osculari detrectantes exterminandos suadeat, ex se velut aranea fingit solos Romano Catholicos veram, reliquos verò omnes falsam rationem status habere. Verba ejus hæc sunt: *Pro verâ resolutione hujus quæstionis (de veraratione status) distinguendum est prob dolor inter Christianos. Quidam enim in Baptismo Christo nomen dederunt, & sub uno capite summo Pontifice Romano Vicario Christi in Ecclesia Dei ejusque præceptis constantes permanserunt, vocanturque Catholici, quidam verò post acceptum à Christo nomen à Capite & vera Ecclesia (scilicet Romana, tot superstitionibus Papiificis referta) declinârunt, propriam sibi finxerunt, & humanam sapientiam divina veritati præferentes suos errores pro genio conceptos cum pertinacia defendunt & hæretici vocantur.* (ita scilicet labem nostris Ecclesiis conatur aspergere, cum tamè ipsi ad solam solam scripturam provocemus) Hæc distinctione præviâ dicimus solos Christianos Catholicos Imperatores,

tores, Reges, Principes, Civitates & eorum subditos in sua Republica veram, hereticos verò falsam rationem status habere.

Exd. 4. *Ευρωσωνία* itaque est Religio Christiana, quæ ipsi dicitur *donum Dei ac lumen, quò homo illustratus firmiter assentitur omnibus, quæ Ecclesia* (Romano-Catholica & consequenter Pontifex; scilicet juxta scripturæ testimonia, de quibus videant Theologi) *credenda præcipit.* Hanc ut Principes amplectentur, septem contorquet ratiunculas, quas, licet ad incautos decipiendum satis speciosæ sint, levi tamen brachio deinceps poteris elidere, *puncto 1. l. 2.* Exinde progreditur ad p. 7. in quo multa à scripturis non aliena commemorat, & Principem tandem ad obœdientiam tum Dei, tum Ecclesiæ Romano-Catholicæ & consequenter Pontificis obstringit, sicut & Religionis Catholicæ propugnatores exornatos fuisse præmiis splendide contendit, *Puncto 3.*

Exd. 5. Quum verò citra insignem Rerum convulsionem atque perturbationem Pontificiam Religionem non unice introduci, nec reliquas fabricitus evelli posse, imò & Politicos Rationem Status oberluros esse prævideat, alia quatuor substernit. *Προχορισματα*, NB (1.) Politicos Macchiavellianismi fraudulentè insimulat. *p. 13. l. 1.* NB. (2.) Principem à Politicis avulsam ad Confessarios ablegat, in quorù (scrinia quælibet deponantur, scilicet, ut omnium Confessorum penu possideat Pontifex, eaque pro lubitu suo depromat.) Audiamus sophismata. *Si querat, inquit, Princeps, quomodo inter tam varias occupationes & occasiones ad puritatem conscientie pervenire possit? Respondeo breviter: habet Princeps Ecclesiam, ejusq; Doctores sanctissimos, habet, si vult Confessarios doctissimos, (de Verbo Dei altissimum silentium, quum laicis ipsa interdican Biblia) illos audiat, illos consulat, illis vulnera detegat, nihil (NB) cor arguens celet, illorum sequatur judicium, & pacem, quam querit, conscientia inveniet. Dabit frequens examen puritatem.*

Exd. 6. NB. (3.) Effrenis ac effrons ille ab Effrenis reliquas Religiones & Regiones omnes Atheismi arguit, atq; sexcentis onerat criminationibus, ut ita omnem iram Principis in eas deriveret, dum sycophanta sic scribit: *Falsa ratio status est, quæ neglecto Deo fortunam adorat, conservationem Reipublicæ supremam legem constituit, & pro illa omnia media justa vel honesta ex utilitate metitur. p. 2. l. 1.* & hanc tribuit hæreticis *p. 9. l. 1.* quorù nomine ipsi veniunt omnes à Romano-

Ca-

Catholicâ Religione alieni, *ib.* quod fusiùs & magnò versutiæ nisù proponit *p. 12. l. 1.* (Verùm bone Christe, annon nostra Religio te unico lapide angulârî, non verò fortunæ nititur ludibrio, atq; à te Deo vero contra Antichristi versutias imò inferorum portas confirmatur atq; consolidatur!)

Exd. 7. NB. (4.) Quum autem altâ mente repositum maneat Regem Galliæ aliosvè Principes Catholicos potestati resistere Pontificiæ, nec illos ab omni suspitione falsi Status eximit, *Puncto cap. 12. l. 1.* atq; ne omnem gratiam peritus effundat, sub finem distinguit inter eos, qui ex proprio peccato & malo suo in laqueos Idoli (sc. falsi Status) incidunt, & inter eos, qui falsæ rationi Status ex professo innituntur, quales sint hæretici. Id quod cum ægrè ferat homo, nobis gratulamur, & Regis Galliæ Mandato Pontificis potestatem infringente arcanum hoc pontificium jam. concludemus. Ita verè sonat: *Nous tenons, que nos devanciers Roys de France par cause de Regale & de la Noblesse, de la Couronne de France ont usé & accoustumé, & ont esté en possession & saisine d' avoir les prebendes, dignitez & bénéfices de droict & de fait, ou de droict tant seulement, ou trouvez non occupez & vntans de fait tant seulement, & dec nous entendons u ser. Duar. au l. 10. Corps. Franc.* Par extat Regum Galliæ mandatum apud Historicum *Jean de Serre dans la prem. part. d' Histoire Francoise*, cui isthæc subnectitur comminatio: *Trangeants de l' espè contre tous ceux; qui pensent autrement.*

Exd. 8. Post Religionem meritò subjicitur libertas, quæ omnibus Rebus favorabilior est, ita ut etiam nomen libertatis dulce sis orat. *5. in Verrem.* cujus, vel asserendæ, vel defendendæ pollicitatione immane quantum homines inescari, atq; ad animi nutum flecti trahiq; possunt. Quin imò ipsi Romani frequentius avidè ruendo ad libertatem in servitutem delapsi sunt, *Liv. lib. 3. hist.*

Exd. 9. Sic & hoc tertium arcanum invenies frequentissimè. Vix ullus unquam hostis Regionem invasit aliquam, populos subegit liberos, aut aliis aliâ ratione intulit injuriam, quin manibus pedibusq; speciosum Juris & æquitatis pallium prætenderit. Sic lupus, quod est in fabula, in parte ripæ superiore stans, agnum inferiorem aquæ turbatæ insimulat insimulatamque dilaniat. Sed Cicero dicit *l. 1. Offic. Totius justitia nulla est capitalior pestis, quam eorum, qui tum, cum maxime fallunt, id agunt, ut boni viri videantur.*

Exd. 9. Similiter & donationes, & varia tum honorù, tum privilegiõrum ac immunitatum, tum aliorum bonorum promissiones usù quoq; sunt frequentissima. Verè namque canit Poëta Lyricus:

*Aurum per medios ire satellites
Et perumpere amat saxa potentiùs
Jctu fulmineo.*

Cui affine est illud Philippi Macedonum Regis, qui hoc edoctus ab oraculo,

ἀργυρίου λόγχασι μάχῃ, καὶ πάντα νικῆσεις,
Argenti pugna telia, & omnia vinces.

e multa tandem experientia dicebat omnia castella expugnari posse, in qua modo a sellis onustus aurò posset ascendere, *Cc. ad Att. l. i. Epist. 13.* Sed ut apud sapientes cassa habebantur, quæ neq; dari, neq; accipi, salvâ Repub. poterant, *Tac. l. 3. hist.* sic adhuc hodiè vir prudens

ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα καὶ οὐδὲν ὄνησιμα.
Hostium dona non dona, nec utilia;

cum Sophocle in Ajace dijudicat.

Æd. 10. Tandem inter arcana palmam quoque tenet animorum distractio, sive duces ipsi in diversas proscindantur partes, sive subditorum animi munusculis elinguentur & allieiantur. Id quod etiam Duci præsertim bellico laudi vertit Vegetius *lib. 3. de Re militari, c. 10.* ita scribens: *Inter hostes discordiarum serere causas, sapientis est Ducis. Nulla enim quamvis minima Natio potest ab adversariis perdeleri, nisi propriis simultatibus seipsam consumpserit. Nam civile odium ad inimicorum perniciem præceptum est, ad utilitatem suam defensionis incautum.* Hoc arcanum à Cæsare designatum subolet Antonio, qui sic ad milites suos: *Quid sibi vult Cæsar, qui cum arma contra omnes nos ferat, in decreto tamen aliis se bellum facere, aliis non facere asserit. Non profectò non eo animo, quod discrimen aliquod inter nos statuat, aut si vicerit, diversis aliis atq; aliis modis tractare statuerit: sed ut seditionem inter nos misceat, invicemq; commissos infirmiores reddat. Neq; enim ignorat, se nobis, si concordia servata à unò omnium animo agamus, superiorem nequaquam futurum, dissentientes autem nos ac in diversa studia scissos, spem sibi vincendi esse. Ideoq; ad hunc modum nobiscum agit.* Dion.

Æd. 11. Tandem ut alia sicco pede prætereamus arcana, præcipuè verò simulationes affectuum, inscitæ, amentia, &c. satis etiam hoc speciosum est, cum alii ad bonorum & honorum participationem sic admittuntur, ut quod unâ offertur, ex insidiis manu surripiatur alterâ, atq; si res ad vivum refecetur, sumus pro luce, nubes pro Junone detur. Hujusmodi arcanis Romani Imperatores maximoperè studuerunt, atque sic omnem potestatem & dignitatem tandem ad se devolverunt. Sic Augustus Regis nomen populò nimis exosum fugiens Imperator & Pater Patriæ salutaris malebat, licet maximam dignitatem & potestatem obtineret.

Æd. 12. Atque hoc arcanum vocatur alioquin simulacrum, arcanum inane, inanis umbra &c. & ab aliis contra distinguitur. Quamvis autem non negemus, ista inania ab iis, quibus revera aliquid conceditur, differre; commodè tamen ad arcana revocari queunt eum ille, qui summū tenet Imperium, sic maxi-

maximè suam consolidet potestatem, atque finem, quem intendit, consimili simulatione obtineat.

THESIS IX.

In Statu pacifico plura quoq; possemus eruere arcana, sed exclusi temporis penuriâ, duo saltem attingemus. (*Primum*) sit dissimulare multa, quamvis iniquiora videantur, si cum eo res sit, ex quo metuendum belli incendium, (2.) procurare, ut varia nova artes & commercia reperiantur, quibus populus in vicinia vivens, attractus divitias ac reditus incolarum adaugeat.

Æd. 1. Quum dulce sit nomen pacis, Res verò ipsâ tum jucunda tum salutaris, teste Cicerone sub init. *Philip. 13.* Hinc Principis prudentia partis alterius pertinaciam, vel belligerandi libidinè perfertiscens, multas offensiones tacitè concoquendo; imò interdum de jure suo cedendo ex pacis amore dissimulat, ac interea, si rem in nervum abire opinetur, de illis sibi clam prospicit, quorum deinceps aperto Marte usus esse possit. Iccirco illud Erasmi non suâ caret gratiâ, dum sic scribit: *Quædam remedia tristiora sunt ipso morbo, ut fatius sit oppetere mortem, quam aucupari salutem: Ita quandoq; fatius est ferre injuriam, quam majore incommodò ulcisci, ferre pacem, etiam si parùm commodam aut æquam, quam bellum cum immensis malis suscipere.*

Æd. 2. In quo minùs tamen consuleretur & conscientia & Reipublicæ, si quis pacem honestati aut Reipubl. saluti repugnare prævideret, neq; tamen vel ex metu, vel è quietis dulcedine arma capefferet. Egregia namque sunt verba Polybii *lib. 4. hist. c. 31.* εἰρήνη μὲν μὲν ἔδικαιε καὶ πέπειθε καὶ δίκαιον ἐστὶ κτήμα καὶ λυσιστελέστατον μὲν ἢ κακίας ἢ δολείας ἐπινοήσας πάντων ἀίχμισον καὶ βλαβερώτατον: hoc est, *Pax cum justitia & honestate pulcherrima & utilissima est possessio, cum vitio verò aut servitute exprobrata omnium turpissima maximeq; noxia.*

Æd. 3. Sic etiam valdè lucrosam arcanum est, vel artium, vel commerciorum novitate exteros allicere suosq; ex ipsorum loculis augere reditus. Nam mortalium generi mos est, novi operis agnitione pellici, judice *Mamercus de stat. anim. l. 1. c. 1.* Et hæ mercator alioquin omne latus mundi solet excutit, *Persius Satyr. 6.* Et hæ Reipublicæ vitibus non sunt absimiles. Sicut enim istæ late sese spargunt, brachiis suis omnia complectentes & implicantes, ita hæ semper plus æris è proximis accumulunt.

THESIS X.

Arcana militaria plura sunt, quam ut ea chartæ hujus concludi possint angustiâ; inter alia verò maximi momenti est prudentissimi & for-

Fortunatissimi Ducis fidem subleſum reddere, (2.) ejusdem mortem in acie ſpargere (3.) Copias ſuas majores fingere &c.

Ex. 1. Si ullibi ſimulationibus locus concedendus, certè in militia, ubi triumphat illud: Dolus an virtus quis in hoſte requirat? Cum primis autem inſidiæ ſtruuntur iſtis ducibus, quibus circumventis totus Exercitus inexplicabilibus involvitur periculis. Ea propter ſi aliã viã & virtute non liceat, fidem ipſius quandoq; in ſuſpicionem trahunt ſuarumq; partium ſimulant faventiorum. Sic Hannibal Fabii cunctatione irretitus dexterrimã agris omnibus circa ſolo equatis ab uno Fabii ferrum ignemq; & vim omnem hoſtium abſtineri juſſit, ut occultri alicujus partii ea merces videri poſſet, Liv. Dec. 3. l. 2.

Ex. 2. Multò majus verò damnum inferitur, cum in aciei novacula Ducis clades falſò ſpargitur. Quò arcanò uſus eſt Valerius Levinus adverſus Pyrrhum Epirotarum Regem occiſò quodam gregali, tenens gladium cruentum Exercitui urig, perſuaſit Pyrrhum interemptum. Quamobrem hoſtes, deſtitutos ſe ducis morte credentes, conſternati à mendacio, ſe pavidi in caſtra receperunt, Frontinus l. 2. c. 4.

Ex. 3. De Copiis quoque majoribus fingendis, de militibus animandis, hoſtili Exercitù divellendo, de metu verbis minacibus incutiendo, ſecuritate provocanda, caſtris mutandis, aliisvè ſexcentis aſtutiis agendum foret, ſed ne pennas nido majores extendamus, hanc arenam militari cedemus peritiæ, ubi Ducis εν οφθόν βάλειμα πῆς πολλὰς χεῖρας νεκῶ, id eſt, mens una ſapiens plurium manus exuperat, Polyb. l. 1. hiſt. c. 35.

Corollaria.

An Sophiſtica in Logicis ſit tradenda? Aff.

An Non Entis nulla ſit Scientia? Aff.

An dentur occulta quæritates? Aff.

An quis poſſit mentiri & ſimul verum dicere? Aff.

An quis poſſit eſſe Civis bonus, qui tamen non eſt vir bonus? Aff.

F I N I S.

